

DE FONTIBUS VELLEI PATERCULI.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS


SCRIPSIT

FRIDERICUS BURMEISTER


MEGALOPOLITANUS.

HALIS SAXONUM

MDCCCXCIII.



MATRI CARISSIMAE.



4 Nov. 1894.
By exchange.

VITA.

Fridericus Burmeister natus sum Nossentinii, vico quodam Megalopolitano, a. d. XV. Cal. August. a. h. s. LXVI patre Friderico Carolo Martino, quem ante hos XI annos morte mihi ereptum esse lugeo, matre Luisa, e gente Voelschow, quam adhuc superstitem esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis domi a patre imbutus fine a. LXXVI in gymnasium Gustroviense receptus sum tum Raspii, nunc Theodori Fritzschii auspiciis florens, quod inde a quinta classe usque ad primam frequentavi. Maturitatis testimonio vere a. LXXXIV instructus usque ad auctumnum a. LXXXIX in universitate Berolinensi, excepta aestate a. LXXXVII, quam Tubingae peregi, philologicis et theologicis studiis operam dedi.

Docuerunt me vv. dd. Berolini: Curtius, Deussen, Diels, Dillmann, Dilthey, Gneist, Hirschfeld, Huebner, Kaftan, Kirchhoff, Paulsen, Robert, Schwan, Tobler, Vahlen, Weiss, Zeller; Tubingae: Crusius, Herzog, Kuebel, Spitta.

Quibus viris omnibus ex animi sententia gratias ago debitas semperque habebo quam maximas.

Typis expressit A. Klarbaum, Berolini S.O., Reichenbergerstrasse 154.

‚Litteratur ist das Fragment der Fragmente; das wenigste dessen, was geschah und gesprochen worden, ward geschrieben, von dem Geschriebenen ist das wenigste übrig geblieben.' (Goethius.)

Veterum scriptores cum temporum iniquitate haud exiguam partem deperditi vel paucis tantummodo fragmentis servati ad nostram pervenerint memoriam, quibus ad historiam describendam usi sint fontibus indagaturis permultae occurrunt difficultates. Quo fit, ut viri docti, quamvis diligenter his in quaestionibus proximis potissimum decenniis versati sint, certa argumenta in iis solis protulerint scriptoribus, quorum non tantum opera, verum etiam ipsi fontes adhuc exstant. In iis autem scriptoribus, quibus praeter fontes vulgatos hodieque servatos alii permulti patebant, qui aetatem non tulerunt, satis erit quaerentibus quam proxime ad veritatem accedere priorumque sententias vel falsas refutare vel probabiles gravioribus confirmare argumentis.

Quod cum aliorum in fontium disquisitionem cadit tum Vellei Paterculi, quem unus ille codex Murbacensis detruncatum et valde depravatum nobis tradidit; neque enim praefatio solum scriptoris, sed etiam longe maior pars prioris libri deperierunt. Atque hoc eo magis dolendum est, quod, quamquam summa brevitate per-

quorum ille I. 7. 3 laudatur, hic Cicerone (Brut. III. 14) et Nepote (vit. Attic. 18. 1 sqq.) testibus Annali suo rerum Romanarum memoriam breviter et perdiligenter complexus erat: quem librum commodissimam facultatem ei praebuisse nullo negotio, quaecumque ipsi opportuna viderentur, inde mutuandi. Sed de Attico mox viderimus.

Iam ante Kritzium H. Sauppius in egregia illa commentatione de M. Velleio Paterculo[4]), ut in priore operis fragmento (I. 1—8. 3) scriptorem Chronicis Cornelii Nepotis usum esse ex certis indiciis demonstravit (p. 145 sq.), sic in historia aetatis Augusti conscribenda (II. 59—91) ipsius Imperatoris commentarios inter praecipuos fontes eum habuisse acute perspexit. Priore vero voluminis parte quos Velleius sibi praeeuntes habuerit duces, ille quidem non indicat, Livio autem ut historico liberae reipublicae dissimulanter studioso parum eum fidei tribuisse arbitratur.

Sequitur Ulricus Koehler[5]), qui Livium ut ab aliis, ne dicam omnibus, posterioris aetatis historicis, sic a Nostro adhibitum probare conatus est. Sed cum duos tantum locos in examen vocaverit, ubi eum ad verborum Livii similitudinem accedere putat, timidius se gerens rem pro certo affirmare ausus non est.

Post eum Alfredus Pernices[6]), cum de fide historica Vellei disputaret, de fontibus pauca interponere haud omisit. Is primum refutat Krausii opinionem Velleium praeter scriptorum narrationes documenta publica consuluisse, dein Sallustio et Livio multa ab eo deberi infitiatur, postremo vero de Pomponio Attico disserens libenter accedit Kritzio; nam quae de illo tradiderit

---

[4]) ‚M. Velleius Paterculus. Ein Beitrag zur römischen Historiographie' in Mus. Helvet. I (Frauenfeld. 1837) p. 133—180.

[5]) Qua ratione T. Livii annalibus usi sint historici Latini atque Graeci. Gottingae 1861. p. 10 sq.

[6]) De M. Vellei Paterculi fide historica commentatio. Lipsiae 1862. p. 11 sqq.

Cornelius Nepos (Attic. 18. 2) eum in operibus suis difficillimam rem aggressum esse, ut uniuscuiusque clari viri propagines familiarumque originem subtexeret, eadem in Velleium cadere putat, qui quam diligenter in historia sua clarorum virorum genus et cognationem notaverit ubique manifestum sit (l. l. p. 13).

Quae sententia, a Conrado de Oppen improbata[7]), dein repetita est a Paulo Kaisero[8]), qui certa quadam ratione adhibita eam firmare studuit. Cuius in dissertatione, quae tota de fontibus est, cum reliqui, quos nominavi, coniecturis magis quam argumentis usi in transcursu tantum atque obiter rem tetigerint, paullisper mihi commorandum arbitror.

Kaiser igitur, ut summam sententiae eius paucis repetam, a chronologia, qua Velleius utitur, profectus demonstrare studet (p. 10 sqq.) in universum eum in numeris annorum constituendis duas inter se discrepantes rationes secutum esse, quarum alteram tribus annis a Varroniana, quae dicitur, recedentem adhibuerit in priore voluminis parte I. 8. 4—II. 49. 1 nonnullis capitibus, quae tamen cum narratione ipsa non cohaereant, exceptis (veluti I. 14 et 15; II. 38 et 39), alteram reliqua in parte, ubi praeterea et multo rarius notae annorum inveniantur et uberior fiat rerum enarratio. Quam calculorum dissensionem inde effluxisse putat, quod diversis scriptor fontibus usus sit. (p. 20.) Iam si Velleius I. 8. 4 Romam conditam esse dicat tertio Olympiadis sextae anno, eodem quo Solino teste (I. 27 M.) placuerit Pomponio Attico, si praeterea Attici liber annalis vel maxime idoneus fuerit ad propositum eius, cum brevi tempore compendiosam historiam scripturus esset, probabilitate aliqua sibi

---

7) De M. Velleio Paterculo. Dissert. Rostoch. 1875. p. 6 sq.: ‚Nam quomodo quaecumque externa specie splendent hominumque oculos quodammodo feriunt a scriptore, etiamsi minime ad rerum tractandarum historiam pertinent, celebrantur: ita ne stemmata quidem ab eo depicta aliunde quam ex nimio eius rerum externarum amore explicanda sunt.'

8) De fontibus Vellei Paterculi. Dissert. Berol. 1884.

coniecisse videtur Velleium in priore parte usque ad II. 49, ubi primum alterius computationis exemplum deprehendatur, ab Attico pendere.

Haec quidem Kaiser. Quae quamquam ingeniose inventa esse libere profiteor, tamen exilibus argumentis niti quis non videt? Consensu enim, qui intercedit inter Atticum et Velleium de anno urbis conditae, Kaiser tamquam fundamento argumentationis utitur, quo sublato cetera quoque labi ac corruere necesse est. Atqui Vellei temporibus notissimam ac vulgarem fuisse constat hanc urbis conditae definitionem, quae ab Attico quidem, ut videtur, inventa, sed postea a Cicerone, Varrone, aliis gravissimis scriptoribus adoptata imperatorum aetate late percrebruerat.[9]) Itaque minime necesse est de certo auctore hic cogitare; fieri etiam potest, ut annum istum ex puerili institutione perceptum memoriter exhibuerit scriptor. Tum vero subdubitare licet, num omnino recte se habeat numerus, qui nullo pacto conciliari possit cum anno 781 u. c., cui et eodem et aliis locis Vinicii consulatus assignatur; etenim si quis, ut Noster, Romam conditam esse volebat tertio sextae olympiadis anno, usque ad Vinicii consulatum nimirum 785 anni ei numerandi erant. Quocirca et G. F. Unger[10]) et C. Trieber[11]), alter ut videtur alterius sententiae inscius, fidem eius lectionis, quae nunc est, in dubium vocaverunt ex ‚VI. olympiade, post XXII annos quam prima constituta fuerat' corrigendum rati, id quod per se, ut in numeris, facile fieri potest: ‚VII. olympiade, post XXV annos quam cett.' Quae quidem sententia si vera esset, nonne hoc ipsum Kaiserianae opinionis fundamentum iam esset eversum?

Sed accedit aliud. Equidem ob miserrimam Velleiani textus condicionem totam hanc de chronologia quaestionem probabiliter

---

[9]) Cf. Mommsenum in Chronol. Romana (edit. II. Berol. 1859). p. 145 sqq.

[10]) in Actis acad. reg. Bavar. class. philos. philol. XVII. 3 (1886). p. 567 sq.

[11]) in Herm. XXVII (1892) p. 330. not. 6.

umqüam enucleari posse despero. Namque ut in omnibus fere veterum scriptoribus nihil saepius mendis inquinatum esse constat quam ipsos numeros, ita in Velleio, cuius unus tantum isque vitiosissimus codex exstitit, summae dubitationi obnoxiae sunt annorum notae, quarum vix unam incorruptam vel coniecturis non tentatam legeris. Quo factum est, ut, quicunque hac in quaestione versati sunt, omnes in contrarias partes discederent, haud raro etiam traditos numeros ex libidine vel pro sua quisque sententia mutarent. Ac Laurentius[12]) quidem Velleium suum systema chronologicum secutum esse ratiocinatur; Kritzius autem (praef. p. XLII), cuius sententiam summopere mihi arridere confiteor, totum per librum aeram Catonianam ab eo expressam esse contendit; mirum quantum editores in numeris variant, quique praeterea occasione data de chronologia Velleiana nonnulla attulerunt[13]), frustra ei lucem afferre conati sunt. Nec vero melius mea quidem sententia res cessit Kaisero, quippe qui, ne artificia sua corruant, nonnumquam ad levissima argumenta confugere coactus sit. Fragmentum libri annalis Attici idemque unum, unde, qua ratione ille annos ab urbe condita digesserit, perspicere licet, apud Ciceronem Brut. 18. 72 exstat, ubi legimus: ‚atqui hic Livius primus fabulam C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit anno ipso antequam natus est Ennius, post Romam conditam autem quarto decimo et quingentesimo, ut hic (Atticus) ait, quem nos sequimur.' Quid inde Kaiser? Quo testimonio quamquam luce clarius apparet Atticum aeram Varronianam, quam nos hodie dicimus, secutum esse — hac

---

[12]) Fasti consulares Capitolini, rec. J. C. M. Laurent. Altonae 1833. p. 79 sqq.

[13]) Memoratu digna est sententia L. Holzapfelii, qui dicit in Chronolog. Rom. (Lipsiae 1885. p. 181): ‚Auffallend ist es, dass Velleius, Frontinus und Eutrop sich noch meist der alten offiziellen Jahrzählung bedienen. Es kann dies nur dadurch erklärt werden, dass in der Kaiserzeit noch für den Handgebrauch bestimmte Abschriften der alten Fasten verbreitet waren.'

enim ex computatione Claudius et Tuditanus ipso quarto decimo et quingentesimo u. c. anno consules fuerunt —, tamen iste nobis persuadere vult (p. 24) Velleium numeros tribus annis a Varroniana ratione recedentes ex libro annali petiisse, cum dicit: Atticum, qui novam temporis rationem instituerit, in libro suo de differentia annorum, quae erat in annalibus et in monumentis publicis, disseruisse atque sic fieri potuisse, ut Velleius ad rationem non iam usitatam quos in fonte suo inveniret numeros redigeret. — Ad hanc sententiam suam haud scio an quemquam perducat. Nam si revera Noster Atticum secutus est, quis eum alios in libro annali invenisse, alios in suo opere exhibuisse numeros sibi persuadeat? Uti eum maluisse computandi ratione ab eo ipso auctore, quem secutus esse dicitur, reiecta ac reprobata! Mehercule sic fuisset is, qui, quamquam meliora videret, deteriora sequeretur.

At omnino numeros Velleianos non tantam vim habere existimo, quantam Kaiser iis tribuit. Nam et consulto Noster saepius rotundos numeros posuisse videtur, id quod mihi quidem a Kaisero (cf. p. 15. not. 1) dissentienti voces illae ‚ferme' vel ‚fere' vel ‚circiter' nonnullis numeris appositae, sed in aliis omissae declarant, et fieri potuit, ut interdum, quae erat eius socordia ac neglegentia, parum accurate eos exhiberet; nam ne illud quidem neglegendum est, quod rectissime monet Kritzius (praef. p. XLV), veteres his in rebus haud raro ab errore non cavisse, quippe qui non tam accuratis expeditisque ut nos hodie temporum notandorum auxiliis uterentur. Utcumque est, systema quoddam ex numeris Velleianis vix conficere licebit. — Verum ut concedam recte argumentatum esse Kaiserum: ecquid tum amplius probavit iste, quam ex Annali depromptas esse res quasdam ad genealogiam vel chronologiam spectantes atque nonnullos numeros, haudquaquam tamen omnes? Nonne ipse Kaiser in numeris scriptorem adeo non sibi constitisse concedit, ut in iis quoque particulis, quae cum perpetua narratione bene cohaerent, interdum alii atque quos iste Attico tribuendos censet calculi

appareant? (veluti I. 12. 5; II. 4. 5; 10. 1; 15. 1; 21. 5; cf. tabulam ab eo p. 20 propositam.) Qua re iste quidem facere non potest, quin priore hac in parte praeter Atticum alium quoque fontem — ubi tamen rectius scribere debebat: ‚alios fontes' — a Velleio adhibitum esse statuat. (p. 27.) Sed ne longus sim his in chronologicis rebus tota fere historia valde ambiguis: numeros Velleianos seu scriptoris seu librariorum culpa miserrime turbatos tantum valere, ut ex iis certi quidquam de fontibus erui possit, equidem sine ulla dubitatione negaverim.

Quae cum ita sint, alia tentanda erit via atque ex rebus ipsisque narrationis argumentis, non iam ex numeris proficiscendum, si quis auctores Vellei indagare volet.

Quod quidem bene sentiens Kaiser ipse quoque argumenta sua ex calculis petita aliis rationibus studuit firmare. Cum Atticus, inquit p. 22, praesertim temporibus constituendis operam dederit, quomodo factum sit intelligimus, ut Velleius priore in parte operis sui tot locis numeros afferret, cum in sequente hanc rationem fere plane neglegeret. Hoc argumentum ut sane levissimum, ita ne rectum quidem est: nam in ea quoque parte, qua inde a cap. 49 usque ad cap. 103 spatium paulo plus quinquaginta annorum continetur, septies (49. 1; 65. 2; 90. 2 et 4; 93. 1; 100. 2; 103. 3) calculos adscriptos legimus. Ceterum quid esset mirum, si vetustis in temporibus enarrandis scriptor diligentius annorum ordinem notasset quam in iis, quae suae aetati iam propiora erant? — At inde a cap. 49, ait iste, copiosior fit narratio, nimirum propterea, quod priore fonte destitutus alium sibi elegit auctorem. Huic argumento cave nimium tribuas. Iam enim multo ante cap. 49 maiore quadam diligentia in explicandis rebus versatur, iam inde a Sullanis temporibus fusius enarrat, iam satis multus est in rebus Marii (ex. gr. cf. cap. 19) et Pompei (cf. cap. 29 et 33) et potissimum Caesaris (capp. 41—43) describendis, quae ex tali fonte, qualis Attici liber erat, omnino non profluxisse possunt.

Denique Kaiser putat (p. 22) ‚Velleium in studio, quod ei

proprium est, variae familiarum fortunae describendae optime proficere potuisse adiutum annalibus Attici. Hic vereor, ne nimium iste elicere voluerit ex verbis Cornelii Nepotis (Attic. 18. 2) supra iam laudatis, qui de origine tantum ac propaginibus clarorum virorum ab Attico explanatis diserte loquitur; sed quae fortunae singularum familiarum Kaiser ex Nostro contulit exempla, ea quo iure ad librum annalem rettulerit nescio.

Ac ne genealogiae quidem, id quod Kritzius et Pernices putant, Velleius nimium studet. Namque ut paucis tantum et quidem clarissimis viris id honoris praestitit, ut maiores eorum notaret, ita haec ipsa, quae affert, alia eiusmodi sunt, quae erudito cuique Romano ex puerili institutione praesto esse potuerint, veluti quae de Aemilii Pauli I. 9. 3 et Scipionis Africani I. 12. 3 genere commemorat. Alia vero pro more suo non sine rhetorico quodam artificio subicit, ut rem in maius augeat. Sic II. 3. 1 Scipionis Nasicae stemma depingit eum laudaturus, quod ‚patriam cognationi praetulerit;' sic dicit II. 7. 1 de Gracchis: ‚hunc Ti. Gracchi liberi, P. Scipionis Africani nepotes, viva adhuc matre Cornelia, Africani filia, viri optimis ingeniis male usi vitae mortisque habuere exitum;' sic etiam II. 8. 1 C. Catoni repetundarum damnato M. Catonis avi et Africani avunculi virtutes haud ineleganter opponit. Alia denique, veluti quae de genere Sullae II. 17. 2 et Pompei II. 29. 1 (cf. II. 21. 1 de patre eius) et Caesaris II. 41. 1 commemorantur, fortasse ex vitarum scriptoribus petita esse infra (p. 27 sqq.) videbimus. Ex quo intelligitur haud maiore cum studio ac diligentia Nostrum in genealogicis his rebus versatum esse quam res ipsa et ratio viros celebrandi, quae operi quodammodo proposita est, postulabat. At plane aliud consilium aliamque rationem in Annali suo secutus est Atticus. Is enim ut in aliis, ita in hoc libro, quo magistratus ordinavit, singularem quandam curam operamque in eo posuit, ut uniuscuiusque clari viri propagines detegeret, notans — ut ipsius Nepotis (Attic. 18. 3 et 4) verbis utar — qui, a quo ortus, quos honores quibusque temporibus cepisset. Admodum igitur proba-

bilia sunt, quae pluribus de Annali isto nuper exposuit Conradus Cichorius[14]): eandem vel similem illum formam atque indolem habuisse ac fastos Capitolinos hodie exstantes, quin etiam hos ipsos fastos — id quod iam ante eum suspicatus erat H. Matzatius[15]) — ex Attici libro excerptos esse aliis ex indiciis haud sine magna veritatis specie coniecit. Quae cum ita sint, num recte dicitur Annalem ad propositum Vellei vel maxime fuisse idoneum?

His igitur expositis et perpensis ea, quae Kaiser de Attico Vellei in priore operis parte auctore coniecit, parum firmis argumentis niti ideoque si non reicienda, certe in dubio relinquenda esse censeo.

Inde a cap. 49 libri II usque ad cap. 90, unde suae aetatis historiam scribere incipit Velleius, Kaiser alium fontem adhibitum esse putat libro annali multo uberiorem, quem Valerii Messallae Corvini ‚Bellum civile' fuisse inde conicit (p. 26 not. 1), quod de rebus levioris momenti ab illo commemoratis, velut de Mena 73. 2 et 74. 4 ac de Dellio 84. 3, eadem Noster tradidit. At erravit vir doctus verba vel nomina magis quam res curans. Messalla enim teste Suetonio (vit. Aug. 74) auctor fuit neminem umquam libertinorum ab Augusto cenae adhibitum esse excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem post proditam S. Pompei classem. Nihil eiusmodi apud Velleium, qui, cum Menae bis (ll. ll.), sed una cum Menecrate mentionem faciat, eius cum Augusto convivium non commemorat. Altero autem loco, quem fragmento Messallae apud Senec. Suas. I. 7 servato similem esse vult Kaiser, num eadem utriusque narratio fuerit, subdubitare licet. Primum enim hic mutila erant codicis Murbacensis verba, ut, quamquam locus egregiis Lipsii et Ruhnkenii coniecturis restitutus est, tamen, quid revera scripserit Velleius, non satis liqueat. Tum vero, id quod gravius est, ‚desultoris' illud vocabulum, quod Corvinus teste Seneca (l. l.) Dellio indiderat, apud

---

[14]) De fastis consularibus antiquissimis in Stud. Lips. IX (1887) p. 245 sqq.

[15]) in Chronolog. Rom. I p. 353 not. 2.

Nostrum prorsus desideratur. Denique si plane eadem Noster tradidit quae Mesalla, num inde huius libros inspectos esse sequitur? nonne alius scriptor Messallam secutus Nostro haec praebuisse potest? Atque ita rem sese habere infra videbimus.

Posteriore vero dissertationis suae parte (p. 28—47) Kaiser, quos legerit ac noverit Velleius quosque vel inscius vel conscius imitatus sit scriptores, demonstrare studet, inter quos Ciceronem, Sallustium, Livium — de hoc tamen dubitans —, denique poetas recenset,

Haec habui, quae contra Kaiserum proferrem. Praeterire autem licebit duos, qui post eum subsicivam ut aiunt operam in fontes Nostri contulerunt, Fridericum Helbingium[16]) dico et Franciscum Faustium[17]), quorum ille haud satis firmis argumentis usus Sisennam quoque adhibitum opinatur, hic fere totum ad Kaiserum se applicat. Fuerunt denique, qui, cum singulas historiae Velleianae partes illustrarent, de Vellei auctoribus nonnulla interponerent, quos suo quemque loco commemorabimus.

Ex iis autem, quae attuli, satis iam apparere puto, quaestionem hanc de fontibus etsi incohatam, nondum tamen profligatam neque ad exitum perductam esse. Itaque denuo eam instituendam atque redintegrandam mihi proposui, praesertim cum in res ipsas a Velleio traditas neminem adhuc via quadam ac ratione inquisivisse viderem. Qua in re haud nescius eram periculosum me opus aggressum esse multaeque dubitationis ac difficultatis plenam. Namque in scriptore, qui ex collectaneorum libris hausisse videtur nec uni se addixit auctori, sed plerumque pluribus adhibitis suo iudicio usus est; qui multa e memoria, multa ex ingenio suo, haud pauca etiam ex rhetorum scholis oratoris

---

16) ,Velleius Paterculus. Ein Beitrag zur Kritik seiner Historia Romana.' Dissert. Rostoch. 1888. p. 12 sqq.

17) De Vellei Paterculi rerum scriptoris fide. Dissert. Giessae 1891. p. 4 sq. cf. p. 66.

simul et historici partes agens admiscuit[18]); qui denique in maiore operis parte epitomen magis historiae dedit quam historiam et singulas res tam breviter perstrinxit atque attigit, ut indicia ad auctores cognoscendos idonea aut nulla aut parum certa relinqueret: in tali, inquam, scriptore accuratam fontium investigationem magnas difficultates habere per se elucebit. Fuerunt igitur, qui re plane desperata nil umquam certi de Vellei fontibus pronuntiari posse arbitrarentur[19]). Quod ut de priore operis parte ob nimiam scriptoris brevitatem fortasse concedi potest, ita de posteriore (inde a cap. circ. 40 libri II) certe negandum est. Equidem quamquam hac in disquisitione multa utique coniecturae relinquenda esse libere profiteor, plura tamen eaque gravissima fontibus suis reddi posse haud despero: unde id saltem assecuturus mihi videor, ut de Vellei fontibus et auctoritate certius omnino iudicium proferam.

CAPUT II.

Priusquam autem ad ipsam nostram provinciam aggrediamur, nobis quasi fundamentum totius disputationis nacturis breviter ante dicendum erit de ratione, quam Velleius in volumine suo

---

18) cf. Casim. de Morawski in Philolog. XXXV (1876) p. 115 sqq. et in Stud. Vindob. 1882 p. 167 sq. — Recentiorem eiusdem de eadem re disputatiunculam ‚de rhetoribus latinis observationes' (Cracoviae 1892) nondum inspicere potui.

19) cf. Walth. Judeichium in ‚Caesar im Orient' (Lipsiae 1885) p. 41 not 1: ‚Genaueres kann man . . . . weder hier noch sonst über Velleius Quellen sagen.' Acrius etiam iudicat Ernestus de Stern in ‚Catilina und die Parteikämpfe in Rom während der Jahre 66—63.' Dissert. Dorpat. 1883. p. 162: ‚Etwas Bestimmtes über die Quellen des kurzen Vellejanischen Berichtes lässt sich überhaupt nicht feststellen, und jede dahin zielende Thätigkeit ist verschwendete Mühe'.

componendo secutus videtur. Atque hac in re dissentiunt viri docti, quorum aliqui, veluti Kaiser l. l. p. 10, eum copiis antea non collectis ad historiam scribendam accessisse putant, plures tamen, veluti Kritzius (praef. p. XVI sq.) et Helbingius (l. l. p. 9) et, qui gravissimus est, Rankius[20]) ex paratis auxiliis eum librum suum conscripsisse affirmant. Quibus equidem assenserim. Hercle enim omnino incredibile est Velleium historiam suam tanta rerum copia ac varietate distinctam sex mensibus — id quod inter omnes constat — conficere potuisse nullis praesidiis adiutum, sed ita fere, ut singulas res multorum in libris disiectas et dissipatas aliam post aliam nunc ex hoc nunc ex illo conquireret atque in sua scrinia transcriberet: res immensi sane operis quaeque tam brevi tempore nullo modo poterat absolvi. Immo vero copias aliquas in promptu habuerit necesse est, quas, antequam ad scribendum aggrederetur, rerum Romanarum in studio versatus aut ipse sibi comparaverat aut — quod magis etiam cum ingenio eius congruit, cum de assiduis ipsius studiis dubitare liceat — alius nescio quis ei suppeditaverat. Sic enim saepius veteres scriptores volumina sua exarasse luculentissimum exstat Suetonii testimonium, qui dicit de grammat. 10 p. 107 Rf.: C. Sallustium, historiam componere adgressum ab Ateio Praetextato Philologo breviario rerum omnium Romanarum, unde quas vellet eligeret, instructum esse. Atque hoc idem officium, quod doctus ille libertinus Sallustio, haud scio an Velleio ex familiaribus aliquis praestiterit vel ex servis litteratis, quos multo plus operarum veteribus praebuisse certum est, quam hodie docto viro ab ullo umquam studiorum socio vel ministro praeberi solet.[21]) Sic igitur instructus quoniam Noster inter scribendum fontes ipsos non inspexit, sed, quae inde excerpta ei praesto erant, in libros suos

---

[20]) l. l. p. 267: ‚Wenn man das kleine Buch zur Hand nimmt, so lehrt der Augenschein, dass Velleius Materialien, die ihm bereits vorlagen, darin zusammenstellte.'

[21]) cf. Alfredum de Gutschmid in ‚Kleine Schriften' (ed. Franc. Ruehlius) vol. I. Lipsiae 1889. p. 12 sq.

transtulit, historiam pragmatice, ut nos dicimus, describere potuit, ita ut singula rebus causisque cohaerentia, sed temporibus divisa uno ordine narraret.[22]) Sic quoque facillime explicantur permulti illi errores, quos in historia sua commisit[23]), necnon qui factum sit, ut nonnulla suo loco praeteriret, quae postea alieno rettulit (veluti II. 68) aliqua ex parte perspicitur: quod certe non potuit accidere, si unum vel etiam plures scriptores secutus ipsos eorum libros ante oculos habuisset. Quid? quod ipse consilio maioris operis condendi saepius inde a bello civili commemorato significare videtur in posteriore saltem parte habuisse sese res collectas ac paratas, sed plures, quam pro festinatione sua tum edere potuerit? Inde etiam digressus, inde excursus, quibus historia Velleiana redundat, inde quod numquam serviliter auctores suos secutus ubivis suum interponit iudicium. Denique, quod iam obiter legenti obvenit, nonne et res et homines plerumque ita describit, ut interiorem quandam historiae notitiam eum habuisse appareat? Rectissime igitur Kritzius (l. l. p. XVI) Velleium festinato hoc libello pauca ex collectis copiis delibasse et tamquam specimen amplioris edidisse iudicat, nec vero probabilitate caret coniectura, quam proposuit Helbingius (l. l. p. 9): scriptorem iam id agentem, ut historiam Romanam accuratius describeret, Vinicio designato ad aliud subito consilium perductum, ut amico absolutum quendam libellum dedicaret, gratulatorio hoc scripto summas tantum res attingere, sed ampliore illo opere postea eas explicare voluisse.

Quibus praemissis iam ad ipsum propositum transgrediamur. Ac primum quaerendum est, sintne aliqui scriptores, quorum libros se adiisse ipse nobis indicaverit. Atque I. 7. 3 laudat M. Catonem, cuius sententiam de tempore Capuae conditae sine dubio in Originibus prolatam valde impugnat; sed ut illum hoc loco inspexerit tantum abest, ut, quia Origines non evolvit, in

---

22) cf. Pernicen l. l. p. 4 et 10. Rankium l. l. p. 267.
23) cf. Sauppium l. l. p. 147 sqq.

errorem seductus sit. Res enim, id quod commode monet J. Belochius[24]), ita se habere videtur, ut Cato ducentos et sexaginta annos, quos teste Velleio inter Capuam conditam et captam intercessisse auctor fuerat, non ex anno 542 a. u. c. (212 a. Chr.) numeraverit, quo bello Punico secundo capta, sed ex 415 (339) vel 439 (315), ubi a Romanis primum occupata est: ab hoc igitur anno ducentis illis et sexaginta retro numeratis Capua condita erit exeunte fere sexto a. Chr. n. saeculo. Atque sic optime omnia convenire Belochius docet; Tuscorum enim colonia haec est, quorum illo ipso tempore res maxime florebant. Quae si recte sunt disputata, nec vero a probabilitate abhorrent, Velleius perperam intellexit sententiam Catonianam. Nimirum propterea, quod Catonem ipsum, cuius libri sane vetustatem sapientes iam Ciceronis aetate in oblivione iacebant[25]), ut iam diximus, non inspexit, sed sententiam illius aut memoria tenuit aut, quod quidem magis crediderim, ex eodem fonte desumpsit, cui et quae praecedunt de Hesiodo et quae sequuntur de Olympiorum initio debet: scilicet Cornelii Nepotis chronicis.

Altero vero loco (II. 16. 3.) laudat Hortensium, cuius ex annalibus plenum de virtute Minatii Magii, atavi sui, testimonium affert. Unde tamen nullo modo amplius quidquam effici cogique potest quam annales illos aliquando eum perlegisse; plura igitur Hortensio deberi, quam quae hoc uno loco allata sunt, haud facile crediderim.

Itaque cum ipse nos auctores suos ignorare voluerit, nobis fontes eius indagantibus ea via instituenda erit, ut in historiae argumenta intrantes de rebus factisque ab eo commemoratis

---

[24]) in ‚Campanien.' edit. II. Vratislav. 1890. p. 8 sq. — cf. H. Dielsium in Herm. XXII. (1887) p. 416 sq. et ibid. not. 4.

[25]) cf. Cic. Brut. 17, 65: ‚Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis novit omnino? . . . . 66: Iam vero Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicuti multis iam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi.'

agamus singulisque cum aliorum scriptorum narrationibus comparatis, quid similitudinis vel diversitatis inter eos intercedat, quaeramus: quae via etsi in Velleio, ut diximus, satis difficilis est, tamen neque omnino clausa videtur neque ita impedita, ut eam ingressi quaestionem nobis propositam non ad aliquam probabilitatem perducere possimus. In iis autem, quae de singulis eius fontibus prolaturi sumus, quem ille in enarrandis rebus secutus est ordinem, eundem quam maxime ipsi quoque sequamur.

PARS I.

De Cornelio Nepote.

Historiam scribere exorsus quem primum quasi ducem sibi praeeuntem habuerit Velleius, demonstrat Sauppius (l. l. p. 145 sq.), qui Cornelium Nepotem hunc fuisse evincit ex iis, quae de Thessalia 3.2, de Corintho et Ephyra 3.3, de Homero cap. 5 et Hesiodo 7.1 deque tempore Carthaginis conditae 6.4 tradita sunt. Cuius argumentis equidem nihil habeo, quod adiciam, sed per se ipsa rem absolvunt. Quodsi iam satis constat prius hoc fragmentum (I. 1—8.3) ex Nepotis chronicis fluxisse, quid tandem quaeso impedit, ne in eodem fonte, cuius iam patebat aditus, diutius eum haesisse statuamus? Nam discrepantiam illam de natalibus urbis a Nepote olymp. VII. 2, a Nostro ol. VI. 3 assignatis, qua potissimum Sauppius adductus est, ut inde ab 8.3 alios ei duces tribueret, minime huic sententiae obesse ex iis, quae supra p. 6 contra Kaiserum disputavimus, apparebit: numerum enim Velleianum memoriter ac sine ratione exhibitum, fortasse etiam mutandum esse vidimus. Nec vero crediderim scriptorem, ubi ad ipsas res Romanas enarrandas accessit, subito ac sine ulla causa reliquisse Cornelii libros, qui summa tum auctoritate apud Romanos florebant. Nam chartae illae doctae et laboriosae, ut ait Catullus 1.5, quibus unus ille Italorum incluta

Apollodori chronica secutus omne aevum explicare ausus erat, studiosissime lectitatae omnium in manibus versabantur et in scholis puerorum etiam institutioni inserviisse videntur.[26]) Hoc igitur ἐγχειριδίῳ quid commodius esse, quid magis arridere poterat Nostro, qui haudquaquam doctus nec litteratus ad historiam se contulit? Ac certe Corneliani operis formam atque indolem imitatus initium scribendi inde ab antiquissimis temporibus cepit et universam, non solum Romanam historiam, componere sibi sumpsit. Quod quidem consilium quomodo exsecutus sit, singillatim perspicere iam non licet, quoniam eam voluminis Velleiani partem, quae Graecorum exterorumque res usque ad bella Macedonica gestas complectebatur, totam nobis invida fortuna abripuit. Sed re vera Graecorum haud minus quam Romanorum historiam ab eo tractatam fuisse luculentissime demonstrat unum fragmentum, quod hac ex parte servavit Priscianus VI. 63 p. 248 (H): ,Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius Cimon.' Quod quamvis exiguum frustulum sit, tamen, ut multum valet ad nostram sententiam probandam, ita infirmat opinionem eorum, qui Attico patrocinantur. Librum enim annalem eius ab urbe condita incipientem[27]) solam Romanam historiam comprehendisse neque exterorum, nisi quatenus artissime cum ea coniuncta erat, attigisse patet cum ex Cicer. Orat. 34. 120: (Atticus) ,annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit,' tum ex Cornel. Nepot. Attic. 18.1: ,nulla enim lex neque pax neque bellum neque res illustris est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata.'

Jam vero cum Nepotem chronica sua ita instituisse sciamus, ut rerum ab utraque gente, et Romanis et Graecis, gestarum συγχρονισμοὺς componeret, quaerendum, nonne eiusdem rationis vestigia apud Velleium reperiantur. Ac statim talia in promptu sunt in capp. 14 et 15 libri I, coloniarum illa tabula, ubi scriptor

---

[26]) Conferatur Mommsenus in Hist. Rom. III p. 614 sq.

[27]) cf. G. Fr. Ungerum in Mus. Rhen. XXXV (1880) p. 19.

duobus locis fontis sui verbis nimis inhaerens praeter Romanas res, quid uno eodemque tempore apud Graecos acciderit, notat: Alexandriam conditam esse eo ipso anno, quo Fundani et Formiani in civitatem reciperentur (14. 3), et quo anno Sinuessam Minturnasque coloni missi essent, eo Pyrrhum regnare coepisse. (14. 6.) Omnia autem, quae hic de temporibus coloniarum deductarum in unam speciem contracta legimus, in fonte latius diffusa ac dispersa fuisse ipse disertis verbis indicat. Haec igitur capita ex Nepotis chronicis decerpta esse pro certo habere possumus. Atque eodem referenda videntur, quae de temporibus oratorum, poetarum, scriptorum etsi brevissime, tamen ita notavit, ut eum accuratiorem quandam notitiam ex fonte haurire potuisse perspicias; exempli gratia animadvertas velim, quae de Sisenna tradit II. 9. 5: ‚historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuvenis, sed opus belli civilis Sullanique post aliquot annos ab eo seniore editum est,' ubi ipsas annorum notas in fonte exstitisse intelligitur. Cum his autem si contuleris, quae infra cap. 36 eodem modo de eminentibus posterioris aetatis ingeniis leguntur, tempora ibi multo minus accurate notata invenies, quod inde factum esse, ut fonte suo iam destitutus partim e memoria illam enumerationem conficeret, recte iudicat Kaiser. (l. l. p. 24.) Argumentis autem, quibus ille pro Attico utitur, in meum usum conversis haec Nepoti tribuere non dubito, quippe qui in chronicis suis illustrium virorum aetates necnon ingenio nobilium notaverit.[28]) Itaque si Velleius I. 16. 4 miratus, quod eminentissima cuiusque professionis ingenia in idem artati temporis spatium congruerent, postquam eodem capite ac subsequente summos et Graecorum et Romanorum poetas, philosophos, historicos enumeravit, sic pergit I. 17. 4: ‚hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus, quisquis temporum institerit notis, reperiet ...' — an his quoque verbis ad chronica ista respexerit nescio.

---

[28]) Cf. fragmenta chron. Nepot. apud Herm. Peterum ‚Historicorum Romanorum fragmenta' (Lipsiae 1883) p. 218 fr. 2 de Homeri et 3 de Archilochi aetate.

Aliud vero Cornelianae eruditionis genus, ni fallor, ea prodʼunt, quae de aedificiis monumentisque publicis urbis Romae antiquae referuntur, veluti de porticibus I. 11.3 a Metello, II. 1.2 a Scipione Nasica et Cn. Octavio, II. 8. 3 a Minucio exstructis, I. 15. 3 de Cassii theatro. His enim atque talibus, quae Cornelius postea iustis ‚Exemplorum' libris explicavit, eum iam in priore opere chronologico pro ingenio suo aliquid curae impendisse veri simile est. Sed Velleius cum haec inseruerit velut antiquae simplicitatis, recentis luxuriae exempla, eodem fortasse ex fonte petiit narratiunculas quasdam eo consilio allatas, ut suae aetatis moribus luxu perditis severissima maiorum instituta opponeret. Cuius generis optimum sane exemplum habes II. 10. 1, ubi severitate censorum Cassii Longini Caepionisque notata, qui centum quinquaginta tribus annis ante Vinicii consulatum Lepidum augurem ob aedes sex milibus H S. conductas in iudicium traxerunt, ad suum tempus respiciens addit: ‚at si quis hodie tanti habitet, vix ut senator agnoscitur.' Quam quidem narratiunculam nisi ex chronicis libris fluxisse statuo, intelligere nequeo, cur rei tam parvulae temporis notationem subiunxerit, id quod nisi in gravissimis factis ad rempublicam pertinentibus numquam fere fieri solet.

Verum ne quis coniecturis nimis me indulgere dicat, his paucis acquiescere volo, nec vero omnia, quae Nepoti debentur, investigari posse per se clarum est. Contentus equidem sum, si mihi conceditur, id quod satis me probavisse spero, in Romanis quoque rebus enarrandis ultra terminum a Sauppio positum nonnulla ex chronicis illis arcessita esse. Quae quatenus adhibita sint, non habeo dicere, praesertim cum ne hoc quidem constet, quo anno Nepos libros suos ediderit[29]) quemque ad terminum rerum memoriam in iis produxerit. Tamen quo copiosior fit

[29]) Aliquot annis ante 700 u. c. (54 a Chr.) eos innotuisse ex verbis Catulli 1. 5: ‚iam tum, cum ausus es unus Italorum ....' cognoscitur. Ludovicum Schwabium (Quaestiones Catullianae. Gissae 1862 p. 295) si sequimur, prodierunt intra annos 687 = 67 et 690 = 64.

narratio, eo magis chronologici fontis indicia rarescunt crescentibus simul iis, quae ad Livium, primarium eius auctorem, ducunt, neque ultra Sullana tempora, quid ad Nepotem referri possit, omnino non invenio. — Sed iam ad alteram disputationis nostrae partem transgrediamur.

PARS II.

Quid e vitarum scriptoribus desumpserit Velleius.

A. Libros de viris illustribus inter fontes eius fuisse demonstratur.

Dudum viris doctis de Vellei ingenio atque indole disputantibus observatum est cum aliis tum Sauppio (l. l. p. 155 sqq.) eum in historia primum vel potius unicum locum tribuisse hominibus, adeo ut ipsa gravissima facta ad eos, qui primas in republica partes egerunt, referret, nonnumquam etiam rerum gestarum ordine inverso ea, quae ab uno eodemque viro illustri gesta erant, coniunctim narraret. Nec vero satis habet historiam quasi vitas illustrium virorum scribere, sed de his ipsis multa plura affert, quam omnino cum perpetuae historiae ratione conveniunt. Nam ubicumque in clariorem aliquem virum incidit, huius memoriam altius repetens genus, familiam, pueritiam vitaeque prioris spatium, antequam ad rempublicam accesserit, enarrat et in moribus ingenioque eius illustrandis libenter commoratur: unde factum est, ut in brevissima rerum adumbratione de singulis viris nonnulla, quae quasi supervacanea videntur, interponeret. Atque hoc quidem scribendi genere, quod alienum sane a scriptore, qui perpetuam historiam tractandam sibi proposuit, ad vitarum potius auctorem quadrat, nonne etiam, qualis fons interdum a Nostro adhibitus sit, indicatur? Itaque cum mihi persuasissem inter fontes Vellei fuisse libros quosdam de viris illustribus,

eandem in opinionem Jo. Rosenhauerum[30]) iam incidisse haud sine magno gaudio cognovi. Sed quae breviter ille adnotavit, mihi peculiariter in fontes Vellei inquirenti pluribus hic disserere liceat.

Ex vitarum igitur scriptore — vel si magis placet scriptoribus — ea fere Nostrum desumpsisse statuo, quae, cum ad singulos tantummodo homines, non ad universae civitatis historiam pertineant, continuum rerum ordinem interrumpunt atque primo quasi obtutu additicia agnoscuntur, saepe etiam a vulgari scientia, ut Rosenhauer ait, remotiora sunt, quam quae ex perpetua aliqua historia hausta esse possint. Cuius generis, ut iam singula percurram, primum exemplum videtur, quod de L. Aemilio Paulo I. 9. 3 tradit: eum, antequam contra Persen mitteretur, et praetorem et consulem triumphasse. De praetorio illius triumpho et Livius tacet, cui cetera huius capitis deberi infra (p. 38 sq.) videbimus, et elogium Pauli statuae ab Augusto in foro Martis subscriptum (C. J. L. I. p. 289, nr. XXX) duos tantum triumphos ei consuli tribuit. Altero quidem elogio, quod arcu Fabiano incisum erat (C. J. L. I. p. 279, nr. I) ter triumphasse dicitur, ubi adnotat Mommsenus: ‚Paullus quoniam ter imperator appellatus est, pro duobus triumphis tres ei tribuuntur cum in hoc elogio c. a. 698 inciso, tum apud Vell. I. 9. Pertinet hoc ad augentes, ut Livius ait (XXII. 31), titulum imaginis posteros.' Sed hoc ex titulo cum Velleius sua haurire non potuerit — accuratius enim rem tradit —, ex vitae Pauli scriptore, ut opinor, haec desumpsit, qui eodem modo in maiorem illius gloriam honores eius auxerat.

Dixeris hanc unam rem memoriter additam esse. Audio. Attamen quae de Metello Macedonico cap. 11. 2—7 leguntur, magis iam ad talem fontem, qualis mihi in animo est, pertinere videntur. Primum enim de Metelli et persona et familia multo plura refert quam ullus perpetuae historiae auctor, veluti Florus,

---

[30]) Symbolae ad quaestiones de fontibus libri, qui inscribitur de viris illustribus urbis Romae. Campoduni 1882. p. 16 sq. Excursus.

cuius de Metello narrationem bene comparat Rosenhauer. (l. l.) Deinde ipsa iam transitionis formula: ,hic est Metellus Macedonicus,' qua praeter hunc locum eadem ratione II. 4.4 (,hic est Opimius') usurpata additamentum quoddam indicatur, certe talis est, ut vel hinc concludere possis haec aliunde ac quae praecedunt petita esse. Postremo omnia ad unum Metellum relata sunt: eum Alexandri turmam statuarum ex Macedonia detulisse (§ 4), Romae primum omnium aedem ex marmore fecisse (§ 5), et vivum (§ 6) et mortuum (§ 7) felicissimum fuisse — quae quidem in perpetua historia locum habere non poterant. Atque idem statuo de II. 5. 2, ubi narratio manifesto extra continuum historiae ordinem posita singularem ostendit similitudinem cum libro de viris illustribus u. R. itemque cum Ampelii libro memoriali. Velim enim conferas:

Auct. de vir. ill. 61. 4: (Metellus) apud Contrebiam oppidum (V) cohortes loco pulsas redire et locum recipere iussit. Ampel. 18. 14: (Metellus Macedonicus), qui Contrebiam, inexpugnabilem Hispaniae civitatem, iussis testamenta scribere et vetitis redire nisi vicissent militibus occupavit.	Vell. II. 5. 2 et 3: tam severum illius Q. Macedonici .... imperium fuit, ut, cum urbem Contrebiam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas praecipiti loco quinque cohortes legionarias eodem protinus subire iuberet: facientibusque omnibus in procinctu testamenta, ... militem victorem recepit.

Similia etiam leges apud Valerium Maximum II. 7. 10 et Frontinum IV. 1. 23 eodem fortasse auctore usos. Sed de materia a Velleio ex vitarum libris hausta quaerenti cum Pseudo-Victore potius et Ampelio mihi res sit, quorum narrationes e prolixioribus eiusdem auctoris vitis decerptas esse constat. Nonne igitur Velleium haud leviter nec fortuito cum utroque congruentem eundem quem illos fontem adiisse veri est simillimum? — Iterum forte dixeris hoc uno exemplo parum vel nihil probari. Sed accedunt alia eaque opinor graviora.

Quae I. 12. 3 et 4, fortasse etiam 13. 3, ac maxime II. 4. 4—7 apud Nostrum leguntur, reliquias vitae P. Scipionis Africani minoris esse statim in oculos incurrit: adeo omnia ad unum hunc virum, ad priorem eius vitam enarrandam moresque illustrandos spectant. Haec autem Scipionis, ut ita dicam, vita mirum in modum concinit cum Auct. de vir. ill. cap. 68, id quod ex integris utriusque verbis facile intelleges.

<table>
<tr><th>Auctor de vir. ill. cap. 68:</th><th>Vell:</th></tr>
<tr><td>1. P. Scipio Aemilianus, Pauli Macedonici filius, a Scipione Africano adoptatus . . . . 2. Lucullo in Hispania legatus apud Intercatiam oppidum provocatorem singulari proelio vicit. 3. Muros hostilis civitatis primus ascendit. 4. Tribunus in Africa sub T. Manilio imperatore octo cohortes obsidione vallatas consilio et virtute servavit, a quibus corona obsidionali aurea donatus. 5. Cum aedilitatem peteret, consul ante annos ultro factus Carthaginem intra sex menses delevit.</td><td>I. 12. 3. P. Scipio Aemilianus . . . . quem Paulo genitum, adoptatum a Scipione, Africani filio, diximus, aedilitatem petens consul creatus bellum Carthagini . . . . maiore vi intulit, cum ante in Hispania murali corona, in Africa obsidionali donatus esset, in Hispania vero etiam ex provocatione ipse modicus virium immanis magnitudinis hostem interemisset; eamque urbem . . . . funditus sustulit.</td></tr>
<tr><td>8. Ob res gestas superbus Gracchum iure caesum videri respondit, obstrepente populo: Taceant, inquit, quibus Italia noverca, non mater est, et addidit: quos ego sub corona vendidi.

10. Suscepta agrariorum causa domi repente exanimis inventus, obvoluto capite elatus, ne livor in ore appareret.</td><td>II. 4. 4. hic, eum interrogante tribuno Carbone, quid de Ti. Gracchi caede sentiret, respondit, si is occupandae reipublicae animum habuisset, iure caesum; et cum omnis contio adclamasset, hostium, inquit, armatorum totiens clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia? 5. Reversus in urbem intra breve tempus . . . . mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quaedam</td></tr>
</table>

elisarum faucium in cervice reperirentur notae. 6. De tanti viri morte nulla habita est quaestio eiusque corpus velato capite elatum est . . . .

His igitur locis inter se collatis nisi qui valde pertinax fuerit dubitare desinet. Quamquam enim modo hic modo ille singulas res accuratius enarrat, tamen Noster tantum abest ut Auctori de vir. ill. repugnet, ut eum supplere videatur et vice versa. Itaque cum neque dubium sit, quin uterque eundem ante oculos habuerit scriptorem, et caput illud 68 de vir. ill. ex vita quadam Africani excerptum sit, probabile argumentum nactus esse mihi videor Nostro quoque ad manus fuisse libros de viris illustribus, quos hic illic in subsidium vocasse videtur accuratiorem inde clarorum virorum notitiam petiturus.

Longius progredi vereor; quis enim communis hic fuerit auctor, vix dici potest. Cogitare possis de Cornelii Nepotis de viris illustribus libris, commodo sane Velleio fonte et chronicorum quasi supplemento.[31]) Huc accedit, quod narrationem de morte Scipionis, qualis apud Nostrum et Auct. de vir. illustr. exstat, eandem habet scholiorum Bobiensium quae dicuntur auctor[32]), ita ut fortasse hunc quoque inter expilatores communis illorum fontis numerare liceat. Si autem scholiasta ille, sicut in Graecorum ducibus illustrandis sine dubio secutus est Cornelium Nepotem[33]), ita in Romanis ducibus eundem adhibuerit, id quod

---

[31]) cf. Mommsenum in Hist. Rom. III. p. 614 sq.

[32]) p. 283 Or.: ‚P. Scipio Aemilianus . . . . repentina morte domi suae interceptus est . . . . in eiusque faucibus vestigia livoris inventa sunt.' Adde quod scholiasta eodem loco aetatem Scipionis — ait enim: ‚qui excessit vita sex et quinquaginta annos natus' — eandem quam Noster § 7 indicat.

[33]) cf. Orellium in edit. schol. p. 312 not. 5. E. Woelfflinium in Bursian. Annal. III (1879) p. 791.

statuit Hermannus Hauptius[34]; porro si idem cadit in Ampelium[35], quocum Nostrum cognationem quandam habere modo vidimus: nonne etiam veri simile sit Nepotis libros de viris illustribus fontem fuisse cum Pseudo-Victori, ut nonnulli iam coniecerunt[36], tum Nostro? — Verum haud ignoro ab aliis doctissimisque viris hunc, qui inter Ampelium et Auctorem de vir. ill. intercedit, consensum ad Hyginum referri[37], et hercle fieri nequit, ut ex paucis illis indiciis res ad liquidum confessumque perducatur. Quapropter ex periculoso hoc itinere pedem referens equidem satis habeo, eam materiam investigasse, quae non ex perpetua quadam historia, sed ex vitis virorum vel in bello vel in toga illustrium, quales in capp. 18 et 19 ab Ampelio enumerantur, deprompta videtur: quam si denotavero, ipsa nomina expiscari vix quidquam intererit.

Ad propositum igitur reversus diiudicare non ausim, utrum ad Mummii vitam Noster respexerit necne, quamquam, ni fallor, nonnulla eius vestigia apparent. Nam quod dicit I. 13. 3 ex novis hominibus neminem priorem Mummio cognomen virtute partum vindicasse (cf. II. 128. 2), itemque quod morum eius argumentum affert ibid. 4: capta Corintho cum tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, edixisse eum conducentibus pro perditis novas reddendas esse: ea vix ex historico fonte originem traxerunt. Eandem mihi suspicionem movent nonnulla de Gracchis II. 2 et 3; 6 et 7 deque Mario 11 et 12 tradita, quae similia quidem, sed magis etiam am-

---

[34]) in ‚Philolog. Anzeiger' X (1879/80) p. 403.

[35]) cf. E. Woelfflinium, de L. Ampelii libr. memor. Dissert. Gotting. 1856. p. 32 sqq. Herm. Hauptium, de auct. de vir. ill. libro quaestiones historic. Dissert. Virceberg. Francofurti 1876 p. 27 sq.

[36]) veluti H. Hauptius l. l. p. 36 et ‚Philolog. Anzeiger' l. l. Jo. Rosenhauer in ‚Philolog. Anzeiger' XIII (1883) p. 744.

[37]) cf. E. Woelfflinium, de L. Ampelii libr. memor. p. 35 sqq. H. Hildesheimerum, de libro qui inscribitur de vir. ill. u. R. quaestiones historicae. Dissert. Berol. 1880. p. 23 sqq.

bigua sunt. Confidentius iam vitarum scriptori tribuerim, quae de M. Livio Druso narrantur. Dictum enim illud, quod moriens edidit: ‚ecquandone similem mei civem habebit respublica?' (14. 2), quod a vulgari scientia prorsus abhorret — neque enim alibi usquam legitur —, itemque narratiuncula praeter Nostrum a Plutarcho (Praec. politic. 800 E) solo relata, quam morum eius testimonium subiungit (§ 3), ut certe ab historico fonte aliena sunt, ita aptius quadrant ad librum, in quo Drusi vita descripta eiusque mores vel minimis rebus levissimisque narrationibus illustrati erant.

Iam vero de Sulla dicendum est. Cuius in consulatum ubi incidit scriptor, statim ad priorem eius vitam recurrens narrat II. 17. 2 et 3: eum fuisse natum nobili familia, sextum a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuisset duces, diuque ita se gessisse, ut nullam petendi consulatus cogitationem habere videretur, deinde post praeturam bello Italico et ante in Gallia legatione sub Mario inlustratum ex successu animum sumpsisse petentemque consulatum paene omnium civium suffragiis factum, sed eum honorem undequinquagesimo aetatis suae anno adsecutum esse. — Haec quidem omnia ad vitae quendam scriptorem referenda esse vix opus est monere: adeo iam res aperta ac dilucida videtur. Sed in ceteris quoque, ubi res a Sulla gestae secundum historiae ordinem referuntur, eodem ex fonte pauca intermixta esse mihi quidem demonstratur consensu, quem hic iterum deprehendi inter Nostrum et Auct. de vir. ill. cap. 75 sine dubio ex vita decerptum. Narrat enim Velleius I. 27. 5 Sullam Mario adulescente, quem Praeneste oppugnaverat, occiso Felicis nomen assumpsisse, quod plane idem leges apud Ps. Victorem 75. 9: ‚Mario Praeneste interfecto Felicem se edicto nominavit.' Qui consensus alicuius momenti est propterea, quod ceteri scriptores, qui huius rei mentionem iniciunt, longe aliter eam tradunt. Appianus enim quantum a Nostro differt! qui dicat b. c. I. 97 Felicem Sullam ab adulatoribus ob continuos rerum

successus vocatum esse: quam adulationem in perpetuum postea cognomen cessisse. Plutarchus autem etsi narrat (Sull. 34) Sullam edicto se Felicem nominari iussisse, tamen post vel potius propter Marium occisum id factum esse ignorat. Cum autem hic certum eius, quem quaerimus, fontis indicium teneas, invitaberis fortasse, ut, quod dicit Noster 28. 3 et Ps. Victor ibid. 10: primum omnium Sullam proscriptionis exemplum invenisse, ad eundem fontem referas. Ex vita etiam Sullae magorum vaticinium (24. 3) haustum videtur, quod cum iis, quae proxime antecedunt et quae statim subsequuntur, ita non cohaeret, ut salvo rerum conexu facillime ab iis separari possit. Re vera autem Parthorum legati, in quibus magi illi erant, non, ut Noster dicit, ad Sullam in Italiam revecturum venerunt, sed iam decem annis ante, cum ex praetura ille Ciliciam obtinuisset et Ariobarzanem in Cappadociae regnum restituisset; cf. praeter Liv. Perioch. LXX Plut. Sull. 5, qui suo loco rem narrat. Hanc igitur narratiunculam, quae vel collocatione temporum ordini repugnante additicia agnoscitur, in vita Sullae inventam hoc loco interposuit, alieno quidem illo, sed haud inopportuno, quoniam Sulla tum ad felicitatem a magis promissam in Italiam redibat. (cf. Krausii adnot. ad h. l.)

Pompei quoque vitam ad manus ei fuisse conicere licet ex iis, quae cap. 29 initio, ubi illum primum in scaenam producit, de origine ac familia eius dicit: eum fuisse genitum matre Lucilia stirpis senatoriae. Eodem statim loco (§§ 2—5) tam accuratam ingenii morumque eius descriptionem subiungit, ut intimam illius viri notitiam eum habuisse appareat fortasse ex vita illius perceptam. Nam quae inter alia in Magno praedicat: fuisse eum forma excellenti, dignitate constantiaque, quae ad ultimum vitae diem eum comitata sit, innocentia eximium, sanctitate praecipuum, eloquentia medium, amicitiarum tenacem, in offensis exorabilem, in reconcilianda gratia fidelissimum cett. — haec ut talia sunt, quae in perpetua aliqua historia vix locum habuerint, ita aptissime quadrant ad scriptorem, qui vitae eius imagine diligenter

expressa non solum exposuerat, qualem in imperiis ac magistratibus pace belloque se gessisset, sed etiam interiorem ac familiarem eius vitam quibusque moribus domi et inter suos privatus egisset descripserat. Eiusdem fontis vestigia et postea aliis in rebus de Pompeio allatis, quae ad eum solum spectant, latere videntur[38]; singula tamen si quis detegere vult, vereor, ut multum proficiat.

Magis etiam ab historia ad βιογραφίαν, ut Graeco verbo utar, Velleius deflexit in Caesare. Cuius ubi primam mentionem facit cap. 41 initio, viri magnitudine, ut ait, morari coactus ad genus familiamque eius recurrit et res ad consulatum usque ab eo adolescente vel iuvene gestas hoc duobusque, quae sequuntur, capitibus satis copiose describit; quo facto cap. 44 initio verbis: ‚hoc igitur consule' ad historiam propositique operis formam se revocat. Atque in his quidem capitibus eum non secutum esse scriptorem, qui perpetua disputatione historiam enarraverat, in propatulo est. Sed fortasse etiam fontem, qualis fuerit, perspicere hic liceat. Ac Rankius quidem, qui singulis rebus perpensis iisque cum aliorum, Plutarchi (Caes. 1 sqq.) maxime et Suetonii (Caes. 1 sqq.), narrationihus comparatis veriora ac probabiliora Nostrum quam ceteros omnes tradidisse demonstrat[39], eo inclinare videtur, ut in his inesse credat, quae ex ipsa Caesarum domo fando audiverit scriptor.[40] Quod haud ita a probabilitate abhorret. Narratio enim de eius reditu in Italiam, quae apud nullum alium, qui hodie exstant, scriptorum legitur (43. 2: ‚conspectis, ut putabat, piratarum navibus cum exuisset

[38]) veluti 31. 1, ubi narrat Velleius, id quod nusquam legitur, consulem eum perquam laudabiliter iurasse se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum; vel etiam 33, 4: Lucullum ab eo Xerxen togatum vocatum esse. [cf. Plin. IX. 54; Plutarchus autem (Lucull. 39) Tuberoni Stoico illud dictum tribuit.]

[39]) l. l. p. 270 sq.; cf. p. 323 sqq.

[40]) l. l. p. 323: ‚Ich glaube, diese Version (de ministris Sullae adiutoribusque partium magis quam ipso Caesarem ad necem conquirentibus) ist vorzuziehen, da Velleius aus dem Hause der Cäsaren eine unmittelbare Kunde gehabt haben kann.'

vestem alligassetque pugionem ad femur alterutri se fortunae parans, mox intellexit frustratum esse visum suum arborumque ex longinquo ordinem antemnarum praebuisse imaginem'), ita sane comparata est, ut ultimo loco ad nullum nisi qui praesens affuit, Caesarem igitur ipsum aut comitantes duos amicos redire possit. Ac cum dicit Noster c. 43 extr.: ,reliqua eius acta, quo notiora sunt, minus egent stilo,' haud scio an his verbis significare voluerit omissis vulgaribus nova potissimum necdum litteris mandata de Caesare se attulisse. Verum sive famam ac rumores, quales suis temporibus de Divo Julio hominum aulicorum sermonibus circumferebantur, sive iustam Caesaris vitam multis tum scriptoribus ac maxime ipsius amicis[41]) expositam secutus est: certe quae his capitibus continetur memoria, optimae est notae quaque in condenda auctorem bonum ac fide dignum habuerit necesse est.

B. Augusti de vita sua commentarios adhibitos esse demonstratur.

Restat unus, cuius quasi vitam descripsit Velleius, Octavianus Augustus. Ad quem ubi narratio cap. 59 deducta est, more suo ab historia digressus de origine ac pueritia eius multa inserit, quae ex ratione satis iam significata ad libros de vita ac rebus eius compositos referenda sunt, simul autem tantam prae se ferunt auctoritatem tantamque Imperatoris ostendunt notitiam, ut hic tandem auctorem certissime agnoscamus. Fuisse vero hunc neminem alium nisi ipsum Caesarem Augustum, qui Suetonio (Aug. 85) et Suida (I. p. 851 B) testibus vitam suam Cantabrico tenus bello tredecim libris exposuit, facile apparebit, si quae cap. 59 initio de patre ac familia eius commemorantur (,fuit C. Octavius ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia') comparaveris cum Suet. Aug. 2, qui dicit: ,Ipse

[41]) De vita Caesaris scripserunt ex amicis eius Hirtius (cf. bell. Gall. VIII praef.), Cornelius Balbus (cf. Suet. Caes. 81), C. Oppius (cf. Plut. Pomp. 10. Caes. 17. Suet. Caes. 53) aliique.

Augustus nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit vetere ac locuplete, et in qua primus senator pater suus fuerit.' Hoc igitur loco Suetonius expressis verbis fontem suum indicavit; eundem aliis exhaustum esse ut per se verisimile est, ita eo demonstratur, quod in cetera eius narratione plurima insunt, quae, quoniam ad intimam Octaviani historiam, ad familiam ac parentes eius pertinent, vix aliunde scire adeoque tradere potuerit nisi ex ipsius Imperatoris libris. Atque idem cadit in alterum Augusti biographum, Nicolaum Damascenum, qui, cum vivo adhuc Imperatore imaginem vitae eius, amicissimi sui, exprimere aggrederetur, commentarios illius paulo ante editos haud neglexit. Ex horum igitur narrationibus cum Octaviani ex parte restitui possit, quid Noster inde decerpserit, facillimum erit investigare.

Ac primum quidem Velleius in ceteris quoque, quae de Octaviani patre affert, egregie ac paene mirifice cum Suetonio consentit. Etenim cum dicit § 2: gravem, sanctum, innocentem, divitem eum fuisse, haec explicantur iis, quae Suetonius in cap. 3 exhibet: ,C. Octavius a principio aetatis et re et existimatione magna fuit.... amplis enim innutritus opibus honores et adeptus est facile et egregie administravit.' In his vero ipsum agnosces Augustum, qui de genere et maioribus suis in primo commentariorum exposuerat, ut se ab origine ignobili patris a nonnullis ac maxime ab Antonio ei obiecta (cf. Suet. ibid. et 4) vindicaret.[42]) Dein uterque narrat Octavium Atiam in matrimonium duxisse, ex praetura Macedoniam sortitum in eaque Imperatorem appellatum esse, ad petitionem consulatus decedentem obiisse; cf. Vell. ibid. c. Suet. cap. 3 extr. et 4. Porro quod refert Noster § 3 Octavianum patre mortuo a Caesare adamatum ut suum in Hispaniam illum adsecutum neque umquam aut alio usum esse hospitio aut alio vectum vehiculo quam avunculi, suspicari licet, Augustum hanc rem haud ita gravem in commentariis ideo

---

[42]) Cf. M. Aug. Weichertum, Imperatoris Caesaris Augusti scriptorum reliquiae. Grimae 1846. p. 203.

commemorasse, ut legentes ab initio iustum legitimumque filium ac heredem Divi Julii se putarent. Hic autem si coniunxeris narrationes Suetonii (cap. 8), qui tantum dicit Octavianum in Hispanias profectum esse, et Nicolai (Βίος Καίσαρος 11), qui in hospitio Caesaris eum tum fuisse addit (ἠσπάζετο καὶ οὐδαμῇ μεθίει ὁμοδίαιτόν τε εἶχεν), eadem fere habebis, quae apud Nostrum leguntur. Deinde pontificem eum a Caesare factum esse sicut Noster et Nicolaus (cap. 4) tradit. Tum vero, quae apud Velleium sequuntur (§ 4), Octavianum Apolloniam in studia missum esse a Caesare, ut belli Getici ac deinde Parthici eum commilitonem haberet, iterum bene concordant cum Suet. 8: ‚Caesare post receptas Hispanias expeditionem in Dacos[43]) et inde in Parthos destinante praemissus Apolloniam studiis vacavit.' Adde quod iisdem fere verbis hunc locum exhibet Appianus (b. c. III. 9: ἐς Ἀπολλωνίαν ἐπέμπετο ὑπὸ Καίσαρος ὡς ἐς τοὺς πολεμίους ἑσόμενος αὐτῷ), quem aliqua ratione, fortasse Strabone interiecto, hac in particula (capp. 9—23) cum Augusti commentariis cohaerere certum est.[44]) Apolloniae autem de Caesare occiso certior factus Octavianus statim cum Salvidieno et Agrippa consultat (§ 5), quorum nomina solus omnium hic notavit Velleius. Quis autem, quaeso, consilia tum inter eum et amicissimos inita rescire, quis de iis tradere poterat praeter Augustum? Hanc igitur rem primo saltem loco ab illo exiisse certum, atque ex ipsis Imperatoris commentariis a Nostro deprömptam esse veri simillimum est. Deinde centuriones legionum Macedonicarum operam Octaviano pollicitos esse Noster tradit, nec tacent Nicolaus cap. 17 et

---

[43]) Dacos ut eiusdem stirpis nationem saepissime a scriptoribus cum Getis confundi constat. cf. editores ad h. l.

[44]) Paulus Bailleu (quomodo Appianus in bellorum civilium libris II—V usus sit Asinii Pollionis historiis. Dissert. Gotting. 1874) demonstravit Appianum hanc partem non ex Augusti commentariis, sed ex auctore, qui illis iam usus erat, hausisse. Quem ipse quidem Asinium fuisse statuit; sed Pauli Ottonis disquisitionibus (in Stud. Lips. XI supplem. 1889. p. 245 sqq.) admodum probabile factum est unicum fere Appiani auctorem his in libris fuisse Strabonem.

Appianus cap. 10 extr. Tum vero Octavianum Romam profecturum nave antea ad Lupias prope a Brundusio appulsa ibi aliquamdiu cunctatum esse Noster quidem omisit, quod aut brevitati tribuendum est aut etiam consilio, ne principem, si eum non statim Brundisium vectum esse narrasset, in suspicionem timoris adduceret. Romam autem adventanti immanis amicorum frequentia occurrit (§ 6), quocum conferas App. c. 12: ὤδευεν ἐς Ῥώμην σὺν ἀξιολόγῳ πλήθει α ὐξομένῳ μᾶλλον ἑκάστης ἡμέρας. Contra prodigium, quod eo urbem ingresso visum est, a Suetonio, Nicolao, Appiano omissum non ex Augusto, sed ex Livio fluxit. (cf. infra.) Cap. 60 quoque initio scriptor quam proxime ad Nicolai et Appiani narrationem accedit. Tradunt enim haecce:

Nicol. Dam. 18:

ὁ πατρωὸς Φίλιππος δεόμενος μὴ προσελθεῖν τῇ Καίσαρος κληρονομίᾳ, φυλάξασθαι δὲ καὶ αὐτὸ τοὔνομα, δι' ὃ πάθοι κεῖνος, ζῆν δ' ἀπραγμόνως καὶ ἀσφαλῶς.

App. III. 13:

(ἀπεῤῥήγνυ τε λήγων τοῦ λόγου,) ὅτι μὴ κινδυνεύειν οἱ καλὸν εἴη μόνον, ἀλλὰ καὶ θνήσκειν, εἰ προκριθεὶς ἐκ πάντων εἰς τοσαῦτα ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἀνάξιος αὐτοῦ φαίνοιτο φιλοκινδυνοτάτου γεγονότος.

Vell. 60:

1. Non placebat Atiae matri Philippoque vitrico adiri nomen invidiosae fortunae Caesaris.... 2. sprevit itaque caelestis animus humana consilia et cum periculo potius summa quam tuto humilia proposuit sequi maluitque avunculo et Caesari de se quam vitrico credere, dictitans nefas esse, quo nomine Caesari dignus esset visus, semet ipsum sibi videri indignum.

His igitur locis inter se collatis mihi non iam opponi posse arbitror ita scripsisse Velleium, ut, quae aliquando in Augusti commentariis legisset, in memoriam revocata suis verbis redderet. Immo tantus eius cum aliis commentariorum expilatoribus consensus est, ut oculis fontis verbis inhaerentibus illa eum exscrip-

sisse necesse sit, sive, ut supra diximus, copias collegit sive res statim chartis suis mandavit.

Denique ex commentariis pendet Noster in colloquio enarrando, quod Octavianus cum Antonio habuit. (§ 3.) Nam Appianus Velleianum illud ,vix admisso' bene explicans solus auctor est (ibid. 14) Octaviano, antequam ab Antonio admissus sit, diutius in vestibulo morandum fuisse; qua quidem in re eum per fontem suum, ut praediximus, Augusti commentariis usum esse inde efficitur, quod ipsa verba ab utroque in colloquio facta diligenter ac copiose (capp. 15—20) exhibet totamque narrationem in favorem Augusti vertit.

Inde a § 4 scriptor ad historiae ordinem reversus Livium, primarium suum ducem, sequi pergit (cf. infra), qui cum ipse quoque, ut videbimus, Imperatoris commentarios adhibuerit, utrum ex his an ex Livio hauserit Noster, non semper facile est di iudicatu. Illorum tamen vestigia certissime perspicere licet nonnullis locis, ubi scriptor haud sine veritatis damno a Liviana memoria digressus Octaviano se addixit, qui sui defendendi causa libros suos exaraverat, id potissimum spectans, ut omnia, quibus perpetratis se unum populi Romani dominum fecisset, in oblivionem venirent neve quemquam novi status paeniteret[45]). En loci, quibus Noster Augusti quam Livii narrationem sequi maluit.

65. 1. Antonius Octavianum et admonuisse et quodammodo coëgisse dicitur, ut secum societatem iniret. Sic fortasse Augustus in commentariis suis rem narraverat. Verum enim vero aliunde (ex App. III. 96. Plut. Ant. 19. Dion. XLVI. 52) constat Octavianum metu Bruti Cassiique adductum ab Antonio, non hunc ab illo foedus et amicitiam petivisse.

74. 4. Velleius tradit magis ira militum quam voluntate ducis in Perusinos saevitum urbemque incensam esse. Idem legimus apud Appianum V. 48 et 49, qui etiam solus praeter

---

[54]) Cf. Weichertum l. l. p. 202.

Nostrum nomen Macedonici affert, qui incendii Perusini initium fecisse dicitur. At Liviana memoria omnino discrepat. Dio enim narrat XLVIII. 14 Octaviani iussu Perusinos aliosque ibi tum captos plerosque trucidatos, quadringentos equites senatóresque ad aram Divo Julio sacratam adductos ibique hostiarum instar iugulatos, urbem ipsam totam combustam esse; quocum prorsus facit Sueton. Aug. 15: ‚Perusia capta (Octavianus) in plurimos animadvertit; orare veniam vel excusare se conantibus una voce occurrens: moriendum esse. scribunt quidam trecentos ex dediticiis electos, utriusque ordinis, ad aram Divo Julio exstructam Idibus Martiis hostiarum more mactatos.' Jam Weichertus de diversis his narrationibus copiose disserens (l. l. p. 224 sq.) bene perspexit et Velleium et Appianum — hunc tamen, ut equidem statuo, per fontem suum Strabonem — hac in re ab ipso Augusto pendere, qui in commentariis suis, cum ipsum facinus tum in se admissum haud negare posset, ut saevitiae infamiam fugeret, omnem culpam in tumultuantes milites eorumque iram et furorem averterat.

80. 3. Hoc loco cum omnia fere, ut infra videbimus, bene cum Liviana memoria conveniant, unum tamen neque apud Livium neque alibi legitur: Octavianum castra Lepidi ingressum aquilam legionis rapere voluisse. Quod Velleium de suo finxisse ac plane ementitum esse cum mihi non verisimile sit, ipsum Octavianum in libris suis rettulisse crediderim se tunc aquilae rapiendae consilium habuisse; quod quidem Noster narrationi suae ceteroquin ex Livio haustae inseruit.

85. 2. Pugnam Actiacam describens Velleius narrat dextrum navium Julianarum cornu M. Lurio, laevum Arruntio, Agrippae omne classici certaminis arbitrium commissum esse; Caesarem ei parte destinatum, in quam a fortuna vocaretur, ubique affuisse. — Plutarchus contra (Ant. 65) Agrippam laevum, Octavianum dextrum cornu curasse refert ceteris tacentibus. Itaque Weichertus (l. l. p. 231) hunc Nostri locum in ipsis Augusti fragmentis reponere non dubitat hac argumentatione usus:

,Probabile est narrationem illam profectam esse ab Augusto; quippe universi certaminis regimen dignius visum est persona et maiestate principis, qui res suas ambitiose exornatas aequalium posterorumque memoriae traditurus esset.' — Cui equidem libenter accedo. Sed alterum quoque huic loco vicinum Augustei operis fragmentum latet 85. 4, ubi Caesar clamitans et ostendens fugisse Antonium ex militibus eius duce absente dimicantibus quaesivisse dicitur, pro quo et cum quo pugnarent. Qua narratione, cuius unus auctor est Velleius, Augustus, ut solebat, suam erga victos clementiam in commentariis suis illustrare voluerat.

Haec igitur ex Octaviani libris fluxerunt, quos a Nostro hac in parte adhibitos esse Sauppius l. l. p. 164 (cf. supra p. 4) iam perspexit. Sed cetera omnia bene referri possunt ad Livium, cui Velleium inde ab initio historiae Romanae usque ad pugnam Actiacam longe plurimam materiam debere proxima huius disputationis parte exposituri sumus.

Reliqua huius libelli pars in Studiorum Berolinensium (apud S. Calvary et socium) vol. XV. 2 propediem prodibit.

